

Kreis
Paderborn

S. 150

1196.

[30

Bischof Bernhard v. B. beurfundet, daß sein Ministeriale Sifridus von Dalheim ein Gut an das Kloster Hardehausen verkauft hat.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Bernhardus secundus Dei gratia sanctae Patherbrunnensis ecclesiae episcopus. Notum esse volumus tam futuris quam praesentibus Sifridum de Dalhem ministerialem nostrum praedium quoddam in Hurlere²⁾, quod non haereditario iure, sed tamen iusta possederat acquisitione, coenobio Hersvithehusensi pro triginta VI marcis vendidisse cum assensu et voluntate uxoris sua Hadewig, quorum haeredes ipsorum, cum requisiti fuissent ad compromittendum facta parentum pro habundanti cautela et certitudine, inventi sunt adhuc infra annorum legiti-

morum tempore constituti; quapropter petitione eiusdem Sifridi facta est cautio fideiussoria per Widekindum de Osede, Hermannum comitem de Wartberch, Bernhardum de Northe, Bertoldum de Bilinchusen. Quod cum praedicti haeredes ad annos discretionis pervenirent, ipsi quoque venditionem hanc sua astipulatione legitime confirmarent et hoc completum iri, praedicti fideiussores sub stola fidelissime compromiserunt. Caeterum ut adhuc amplius super his praefatum certioraretur coenobium, praedictus Sifridus omnia, quae a nobis nomine feodi tenuit, pro ducentis marcis ea nobis impignorando resignavit hoc pacto, ut si quis in posterum supradictum coenobium pro bonis eiusdem impeteret, nos omnem utilitatem pignoris acciperemus, donec idem Sifridus hoc ipsum praedium ab omni vexationis molestia liberaret. Porro nos idem pignus praefato coenobio omni contradictione remota donavimus et sigilli nostri impressione praesentem paginam transmittimus sub anathematis vinculo praecipimus observari. Testes huius rei sunt Bernhardus praepositus, Henricus scolasticus, Lambertus cellerarius, Conradus camerarius, Henricus dapifer, Hermannus pincerna, Ludolfus marscalcus, Godescalcus de Mulenhusen. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis MCXCVI, indictione XIII, sedente domino Celestino, imperante domino Henrico, sub domino Conrado Moguntinae sedis archiepiscopo.

VII. 49. Nach Oria. mit erhaltenem Siegel, das beschrieben.

²⁾ Schoene (S. 98) verweist auf Ms. I. 242 S. 25 im St.-M. Münster, wo leve (Kr. Melfungen) gelesen ist.

(71